



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel. alced

8

Σὺν ἁγιστοῖς

PROBLEMA, VTRVM
SCRIPTURA AUTHENTICA IN HE-
bræis græcisq; fontibus, an verò in vulgata ver-
sione latina constituenda
sit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO VOLCMARO
S. S. Theologiae Doctore in Academia
Wittebergensi Professore pu-
blico

Contra Pontificios

Ad disputationem octavam in Collegio studiosorum
Theologiae privato propositum.

à

M. HERMANNO WOLFIO LVBECENSI,

Respondente

M. ELIA EHINGERO AVGVSTANO.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno M. D. XCV.

8



REVERENDO ET
CLARISSIMO VIRO,
PIETATE, DOCTRINA ET RERUM
usu præstantissimo, Dn. SALOMONI GESNERO,
S. S. Theologiæ Doctori, & in illustri Academia Wite-
bergenſi Profefſori celeberrimo, templique
Arcis Præpoſito digniſ-
ſimo,

*Domin o Præceptori ſuo, ſingulari obſervantia colendo
hoc grati animi ſymbolum*

D. D.

M. Hermannus VVolfius
Lubecenſis.

THESES THEOLOGICÆ
DE EDITIONE SCRIPTURARUM
authentica & versionibus illarum ver-
naculis.

Thesis I.



Aeteris hætenus expeditis, qua in disputatione de sa-
era Scriptura inter nos potissimum & Pontificios con-
trovertuntur: ultima nunc restat questio, de editione
Scripturarum authentica, ex qua altera, que est de ver-
sionibus dependet.

ΑΦΘΡΜΙΙ.

2. Vtramq; Romanensium peperit impietas. Ut enim in traditio-
nibus spem ponunt suã, cum ad obtinenda dogmata sua omnis apud
ipsum Scriptura deficit autoritas: sic hæc pressi, eam sibi deligendam
arbitrantur, que probandis aliquo modo opinionibus ipsorum impijs
conueniens sit & idonea.
3. Est hæc vulgata illa latina editio, pro qua non secus ac pro aris
& focis dimicant, nihil interim, aut parum admodum autoritatis
Ebraica Veteris, & Græca Novi Testamenti, veritati tribuentes.
4. Sic enim habet primum decretum quartæ sessionis Concilij Tri-
dentini: Si quis libros istos integros, cum omnibus suis
partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt
& in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris
& Canonicis non susceperit, anathema sit.
5. Et rursum statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vul- In 2. decr.
4. sess.
gata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia pro-
bata est, in publicis lectionibus, prædicationibus, dispu-
tationibus, aut expositionibus pro authentica habeatur,
& quod eam nemo reiicere quovis prætextu audeat, vel
præsumat.
6. Quod decretum interpretans Andradius, ferendum esse ne- lib. 4. de
sens. Trid.
gat, ut cuius liceat illius editionis, qua Ecclesia utitur
auto.

autoritatem aspernari, atq; ad Ebræa Græcaque liberè
provocare.

In contro.
6. lib. 11.
cap. 12.

7. *Quibus omnibus succinit Stapletonus, cum hunc titulum ponit, quod inspectio fontium, textus scilicet Hebraici vel Græci incertum sit, & parum sufficiens medium ad sacrarum scripturarum intelligentiam certam consequendam.*

8. *Ita verò se declarat: Aio inspectionis fontium non tantum esse nunc necessitatē, quāta olim fuit, quia una nunc est certa & authentica utriusq; Testamenti versio in concilio generali approbata.*

9. *Ex his consequens est, controversiam primò esse, de latina editione, non tantum authentica, sed & canonis dignitate, Ebraica & græca editionis veritati prelatata.*

10. *Quoniam igitur magnopere interest cognosse, quanam in tanta versionum sacra scriptura varietate alijs sit præferenda, nos, duce Spiritu sancto, quid in hac questione statuendum sit, breviter expediemus, & deinceps quid de varijs versionibus habendum sit, aperiemus.*

ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΝ.

11. *Quæsitum itaq; hoc erit, utrum scriptura authentica in Hebræis Græcisq; fontibus, an verò in vulgata versione latina constituenda sit.*

ΕΚΘΕΙΣ ΤΩΝ ΔΙΑΔΟΜΕΝΩΝ.

1. τῆς ἡγούμενης.

12. *Authenticum esse quid sit, partim jam ante determinatum est, partim excitato Concilij Trid. decreto etinceps: videlicet, sacrosanctam habere autoritatem, adeo ut nemo id reijcere quovis pretextu audeat, Breviter, quod est θεόπνευστον.*

August.
de consensu
in Evans
gel lib. 2.
cap. 12.

13. *Vt proinde illa scriptura sit authentica, à qua (ut D. Augustini verbis utamur) omnis abest falsitas, non solum ea, quæ mentiendo ponitur, sed etiam obliviscendo. Nam ut alibi dicit: si mendacium aliquod in scripturis vel tenuissimum admittatur, scripturarum autoritatem omnem mox labefactari ac convelli necesse erit.*

2. τῆς

14. Fontium Ebraorum nomine scripturam, Veteris Testamenti intelligimus, prout illa à sanctis Prophetis, divino spiritu actis, sacra, hoc est, Hebraea lingua consignata, & ad nostras usq; manus propagata est.

15. Hebraea dicitur, & Fontes Hebraei non quas ab Abra vel Abrahamo ducto nomine, siue Hebraum quasi Abraham dictum intelligas: siue ab אבראם quod est transijt, quasi appellatus sit, ארץ postquam Euphratem transierat habitatum in terra Chanaan, unde postea Hebraei nominati sint.

Iunius in
elogio he-
br. ling.
Theod.
quaest. in
Gen.

16. Sed ab Hebero Schelachi filio, qui illam ad posteros suos, ex quibus ortus est Abraham, propagavit, postquam divinitus in superbiam hominum dissonantia vocum, & varietas linguarum profusa est.

17. Sacra porro est hac lingua, tum quia non in bucca hominis nata, sed sapienter in primo generis humani parenti à Deo implantata, tum ab eodem crebris cum hominibus praesertim sanctis, sermonibus usurpata, denique in gente, quam post diluvium tanquam peculium elegerat, cuique veteris Testamenti plenitudinem destinavit, conservata, inque illa antiqui foederis depositum consecratum & receptum fuit.

18. Ex hac omnes sapientia divina cum promanent rivuli, et quis est qui illam fontis titulo, ipso praesertim divino spiritu autore dignandam non censeat.

Hieron. in
cap. 3. Soz
pho. Es. 11.
Psal. 68.
Clemens
Alex. lib. 1.
Strom. Iri
naeus lib. 3.
c. 25.

19. Nec verisimilis est eorum sententia, qui illam in captivitate Babylonica perijisse, postmodum verò quasi postliminio pristina integritati ab Esdra restitutam, idque novis characterum formis, asserunt, Hieronymus in Epistola ad Paulinum.

20. Certè, quin apud sanctissimos Prophetas, Ezechielem Danielelem & alios sacrarum scripturarum exemplaria manserint nullum est dubium, sicut & Nehemias, post reductionem, Esdras librum Moysis attulisse & legisse refert.

Nehem. 8.

- Philo in
lib. de e-
gressu filii
orū Israel
ex Aegyp-
to Eūleb.
lib. 16. cap.
2. præpar-
at Evāg.
21. *Hic verò, etsi sedulus rerum suarum commemorator, cum mutati characteris nullam mentionem fecerit: constat insuper Christianorum scrinarios integram scribendi rationē minimè immutasse, utpote quibus vel lineam immutare piaculum fuisse nostrorum Bibliorum lectio monstrat: veritati omnino consentaneum est, cum scriptura ipsa, & antiquas characterum formas, ad nos propagatas esse.*
- Bellar. lib.
2. de verb.
Dei cap. 1.
Melchior
Canus lib.
2. c. 15.
22. *Vt verò hunc fontem nunquam perijisse ita purissimum semper mansisse dicimus. Quod adeo verum est, ut cum maximè hoc sibi impugnandum sumpserit adversario, tum maximè testimonium sententia nostra perhibeat. Tanta quippe est vis veritatis, ut sæpè etiam exin vitis pectoribus erumpat.*
23. *Græcos fontes nominamus græcam Novi Testamenti editionem. Quorum non minor quàm Hebraorum est autoritas, cum par sit dignitatis, qua pariter à Deo de eodem traduntur. Quanquam interim in utrisq; & temporum & linguarum aliarumq; singulorum rationum differentiam quandam agnoscamus.*
- Lib. 2. de
verbo Dei
cap. 7.
24. *Hos ita beat Bellarminus, ut summa quidem autoritatis esse pronunciet, nisi forte constet eos esse corruptos, non quidem generaliter, nec tamen esse purissimos.*
25. *At verò, si (ipso teste) nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint sacras literas corrumpi, quomodo ergò non possunt esse purissimi? Ratiunculas autem quas habet, ipsi disputationi ventilandas committimus.*
1. Cor. 1. v.
23. & 24.
26. *Quod si causas editionis hujus inquirimus, pro nobis respondet Apostolus, ut hoc modo Deus gentium idololatriam, Græcorumq; Philosophiam ac sapientiam redargueret. Quid & quòd hujus lingua beneficio, utpote qua latissimè præ Latina, teste Tullio, se proferebat, Ecclesia limites extendere, & ex omnibus nationibus colligere voluit?*
- Lib. 2. de
doctr.
Christ.
27. *Alter pars τῆς ἐπιτομῆς est de vulgata versione latina. Hujus generis admodum multas, imò propè innumerabiles fuisse, D. Augustinus scriptum reliquit, è quibus tamen Itala ceteris omnibus*
- prala-

prælatæ sit. Et hanc veterem ac vulgatam nominatam fuisse asserit.

28. Sed de hac in præsentia non queritur, cum constet illam intercidisse, postquam altera D. Hieronymi publici juris facta est, & in Ecclesijs locum habere cepit.

29. An verò quæ nunc hominum manibus teritur, & veteris vulgatæ nomen obtinet, D. Hieronymum autorem habeat, tum ab alijs Pagninae in præfat. suæ inter-preti.

30. Non esse hinc colligitur, cum hac, ipso Hieronymo & Augusti- no testibus, Ebraica veritati penitus respondeat, illa infinitis para- sangis ab eadem discedat. Ut taceam quod plurima contineat, quæ ipse pro suis minime agnoscat: quod exemplis bene multis ostendi potest, & ab alijs jam ostensum est. Hier. Epist. stol. 13. Aug. lib. 18. de Civ. vit. Dei c. 43.

31. Authentica igitur num censeri queat, ex sequentibus mani- festum fiet. Certè Ecclesia, de qua gloriantur Papistæ, testimonium nihil moramur, cum tam absurda sententiæ insistat, ut quod omniū conatibus negavit, unius labori, omnium donis planè impari arroget.

Διορισμὸς τῶν ζήτησέων.

32. His ita præmissis, firmis, nunc rationibus & argumentis pro- babimus, non in vulgata editione latina sed in Ebraico veteris, & Græco Novi Testamenti textu, scripturam au- thenticam constituendam esse.

LOCUS I.

33. In Ecclesijs benedicite Domino de fontibus Israelis. Psalm. 68. v. 27.

Item: Haurietis aquam cum gaudio è fontibus salutis. Et Esa. 12. v. 3.

rursum: Dominus narrabit, in scripturis populorum &c. Psalm. 87. v. 6.

34. Prius testimonium quod attinet, sunt sanè, qui verba ista sic le- gant, benedicite Domino, qui estis de fontibus Israelis, ut intelli-

Musculus
super Psal
68.

intelligatur Prophetæ oratio ad illos directe esse, qui veri erat Israëlita, ad discretionem reprobatorum, quorum ora, pectora semper sunt ad laudem Dei pigra & inepta.

35. Quæ interpretatio etsi omnino rejicienda non est, vicinior tamen & propior illa est, quæ de doctrina Israelis concredita, per Prophetas propagata, hæc verba interpretatur, seu de verbo quod fundit promissionem Evangelij de Christo, qui est fons vitæ, habens aquam salientem in vitam æternam.

Ioh. 4. v.
14. & 7.
v. 30.

36. Id ex scopo & propria intentione Psalmi colligimus, qui Ecclesiam Novi Testamenti spectat, quod ipsam vox Ebraea מִקְרָהֶם arguit, quæ non tantum congregationem significat, sed ejusmodi congregationem quæ sit ἐπισυναγωγὴ ἡμῶν ἐπὶ Χριστῷ aggregatio nostri in Christum.

37. Credimus enim Ecclesiam sanctam Catholicam, quæ sanctorum sit communio, talis nimirum communio quam Deus ascendens in cælum erat congregaturus.

Eph. 4. v.
11. & seq.

38. Hac referimus quæ præcedunt: Dominus dat sermonem annunciaticum læti nuncij, seu evangeliantium quo & Paulus in Epistola ad Ephesios respexit: sicuti & hujus Psalmi verba ad probandum institutum suum allegat.

Psal. 5. v.

39. Et denique frequens est huius vocis in dicta significatione usus, quæ ex locorum ad invicem collatione facile ostenditur.

3. item 36.

v. 10. item

8. 7. v. 7.

Ier. 17. v. 8.

Rom. 5. v.

14. Rom.

14. v. 17. &

3 v. 10. Act.

19 v. 17.

Rom. 10.

v. 12.

40. Posterius dictum quod attinet, linguam gentium de Græco idiomate præcipue intelligendam esse ex eo liquet, quod gentes tempore Novi Testamenti communiter Græcos vocatos constet, quod inductione multorum locorum manifestum redditur, cui accedit, quod & scripta novi fœderis in Græca lingua à Spiritu sancto Ecclesie commendata sunt.

41. Ex his sequentem astruimus demonstrationem: Quicunque textus sacrorum fontium nomine divinitus nobis commendati sunt, in illis tantum scriptura authentica constituenda est.

At tantum Hebraicus veteris, & Græcus Novi Testamenti textus & sacrorum fontium nomine divinitus nobis commendatus est.

Et in

E. in eodem tantum scriptura authentica constituenda est.

42. Maioris probatio hac est. Quorsum enim fontes sunt nisi quia ad illos recurrendum est, & in illis, ceteris dubijs, cum fidei *πληροφωγία* acquiescendum? Et nonne similes sunt in incerto mari Iunius in
elegantia
br. ling. navigantibus, qui in verbo Dei cognoscendo, huius aut illius manui, simplicitate credula, clavum (ut Basilius nominat) sive gubernaculum mentis sua committunt?

43. Quanto rectius Hieronymus, qui in Epistola ad Vitale scribit, se tanquam ad arcem quandam & praesidium, sic ad Hebraicam veritatem solitum esse confugere. Nam, ut alibi dicit, cogimur (urgente scilicet necessitate) ad Hebraeos recurrere, & scientia veritatem de fonte magis, quam de rivulis quaerere. De graecis vero fontibus sic ait: Latinorum codicum vitiositatem ad Graecam originem volui revocare.

44. Quid ergo fontibus tribuendum sit, ex dictis liquet. Quò accedit, quod dicit Propheta, illos demum benedicere Domino, qui benedictiones suas ex fontibus Israelis proferunt.

45. Iam Minor ex allegatis locis confirmatur, in quibus fontium nomine, sacrum Hebraea lingua idioma, per linguam gentium, Graecum, significari probavimus, quod hoc ipso, in pari cum illo, loco constituitur, sicuti & illud Hieronymi, modo prolatum aperte eò colimat. Sequitur ergo quod concludimus.

LOCUS II.

46. Non in voluntate hominum allata est olim Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei 2 Pet. 1.
ver. ult. homines.

47. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum 2. Tim. 3.
v. 1. & 17. in iustitia, ut perfectus sit homo Dei.

47. Ex hoc loco ita argumentamur: quodcumque est *θεόπνευστον* illud solum est authenticum, At solus textus Hebraeus veteris Testamenti & Graecus novi, est *θεόπνευστος*.

B

E. ille

Ergo ille solus est authenticus, seu quod idem est, in solo tex-
tu Hebraeo veteris, & Græco novi testamenti, scriptura authentica
constituenda est.

49. Major sunt ipsa verba Pauli, Minor eadem nititur au-
toritate Apostolica D. Petri, qui hanc scripturam, & quidem ea
forma ac modo, quo conscripta est, a Spiritu sancto profectam, &
sic θεόπνευστον esse affirmat.

Ps. 45. v. 1. 50. Et hac referimus illud Psalmi: lingua mea calamus scriba
velocis &c. & quod David dicit, in verbis novissimis: Spiritus
Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam
meam. Reliquum ergo est, illam tantummodo scripturam, qua-
cumq; talis est, pro authentica habendam esse.

2. Sam. 23.
v. 2.

51. Nec est quod quis obijciat, Matthei Evangelium & E-
pistolam ad Hebræos, Hebraice, illam verò ad Romanos latine con-
scriptam, & sic fontem novi testamenti non minus in Hebraico &
Latino, quam in Græco textu constituendum esse.

52. His enim sic positis (de quibus tamen vehementer adhuc
dubitatur) cum nihil eorum nunc extet, omnium verò editionem
Græcam, Apostolis adhuc vivis, prodysse atq; in Ecclesijs receptam,
& ab Apostolis probatam esse certum sit, quid restat, nisi eandem
quoq; pro authentica habendam esse?

LOCVS IIII.

Luc. 4.
v. 17.
Iohan. 5.
v. 39. 53. Christus Prophetam Esaiam legit, & alibi jubet
scrutari scripturas, intelligit autem scripturas Hebraicas: Græcè
enim populus, cui loquebatur non intelligebat, & Chaldaica inter-
pretatio tum forsitan non extitit aut si extitit tamen à communi ple-
becula intelligi non potuit.

Rom. 15.
v. 4
1. Tim 4.
v. 13. 54. Eadem est ratio Græca editionis novi Testamenti, cum &
ipsa sit θεόπνευστον, ut jam antè probatum est: & nihil ab Aposto-
lis, nisi Græco stylo exaratum esse, dictum sit: qui nos ad sedulam &
frequentem illorū omnium lectionem hortantur. Vnde patet, in pri-
mitiva Ecclesia solum Hebraicam & Græcam scripturam authenti-
cam fuisse.

At

55. At vero deinceps longo adhuc tempore sic habitum esse Hieronymus & Augustinus, ut alios taceamus clarissime comprobant.

56. Sic ille: Sicut, inquit, in novo Testamento recurrimus ad fontem Græci sermonis quo novum scriptum est instrumentum: ita in veteri Testamento ad Hebraicam recurrimus veritatem. Hiero: in Episto. ad Suniam & Frezell.

57. Hic eodem modo, Ut veterum, inquit, librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Quæ verba Gratianus in suo decreto transcripsit, ut patet Dist. 9. cap. ut veterum. August. lib. 2. de doctrina Christi. c. 7.

58. Ex quibus omnibus hic tandem emergit Syllogismus: Cujuscunque scriptura iam olim in Ecclesia, seculorum aliquot decursu, authentica fuit dignitas, eadem nunc quoque, talis ab omnibus agnosci & haberi debet. At Hebraica editionis veteris, & Græca novi Testamenti aliquot iam seculis authentica fuit dignitas.

E. eadem deinceps talis ab omnibus agnosci et haberi debet. Ex per consequens, in solo textu Hebræo veteris, & Græco novi Testamenti, scriptura authentica constituenda est.

59. Major patet, neque enim in Ecclesia positum est arbitrio scripturam mutare, quin potius si genuina est, et bona matris bona filia, operam dabit, ut quod accepit fideliter servet, suisque posteris commendet.

60. Quod si verò scripturam, quæ non est authentica facere potest authenticam, quidni etiam canonicam efficiet, quæ sua natura talis non est: ἄτοπον vel ipsorum Papistarum confessione.

61. Minoris nervos citata scriptura & antiquitatis testimonia exhibent. Vera igitur conclusio.

62. Et hætenus sententia nostra veritatem solidis rationibus, & argumentis astruximus, nunc contraria opinionis ἀνασκαυῖν paucis diluemus.

Argumentum Primum.

63. Quæcumque editio scripturarum, nec Spiritus sancti testimonio, nec ab ulla veterum Conciliorum Ecclesia ut authentica nobis est commendata, ea nec pro authentica haberi debet.

At ita est cum vulgata editione Latina. E.

B 2

Si Spiritus

66. Si Spiritus sanctus nititur testimonio, ex divinis scripturis illud promendum erit. At tale nullum est. E. Quod si concilium Tridentinum in Spiritu S. congregatum sic statuisse asseras, at illud magis adhuc controversatur. Quod veterum conciliorum Ecclesia destituantur Pontificum, hinc certum est, cum hoc nulla fide digna historia asserat, neque ejus classicorum scriptorum quisquam unquam meminert.

67. Probatur ulterius. Si publico concilij judicio fuisset approbata, omnes ea communiter usi fuissent.

At usi non sunt. Ergo.

Hier. præ-
fiat. in lib.
Paral p.
68. Probatur, aliud enim citat Ambrosius, aliud Augustinus aliud Hilarius. Et ut cum Hieronymo loquamur, Alexandria & Ægyptus in LXX. suis Hefychium laudat autorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provincias Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus divulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.

Argumentum secundum.

69. Si Hieronymus, cujus hac fertur editio, adeo non ausus est illam ubique defendere, ut sepe etiam illam à vero aberrare profiteatur, pro authentica minime suscipienda erit. Verum illud. Ergo.

70. Probatur assumptio. Versio librorum veteris Testamenti Hieronymo tribuitur. Et tamen ipse multa aliter reddit & interpretatur, quam nunc legimus in vulgata editione.

Vide D.
Chemnit.
par. I. Exa.
p. 56.
71. Extat Hieronymi versio in Psalterio & Ecclesiaste: sed in vulgata editione longe alias habemus istorum librorum versiones. Idem de alijs judicium esto.

Argumentum tertium.

72. Si vulgata editio infinitis propemodum corruptelis, quæ fidei etiam articulos convellunt, referta est, scriptura authentica in illa constitui nequit. Verum est prius. E. & posterius.

Assumptio

73. Assumptio plurimorum locorum inductione probari posset, ut Gen. 3. ubi Pontificia corruptela, in vulgata editione expressa, totum salutis negocium ex fundamento evertit. Sic Gen. 6. & 8. & Eph. 5. Ebr. 13. De quibus omnibus alijsq; vide D. Chemnit. in parte prima Exam. VWhitak. in disp. de sacra Scriptura. & seq. nemque Vallam, Stapulensem, Erasmus, cujus versionem, quam Leo X. approbat, Paulus IV. in Catalogum librorum damnatorum retulit.

Argumentum quartum.

74. Si vulgata editio Latina, ex Hebraea & Graeca scriptura corrigenda & explananda est, non potest esse authentica. Verum antecedens. E.

75. Maior est clariss. Quomodo enim erit authenticum, quod emendationibus, correctionibus & explanationibus opus habet? Verum illud. E.

76. Probatur utraq; Assumptio, ipsius Bellarmini proprio testimonio, qui quatuor constituit tempora, quibus liceat à Latina versione recurrere ad fontes Ebraicos & Græcos, & quidem ex his illam corrigere & explanare. Quae ratione & Latina editioni omnem penitus autoritatem derogat, & Patribus Concilij Tridentini fædè contradicit, quod facta locorum ad invicem collatione hac luce clarius patet.

lib. 2 de
verbo Dei
cap. 11.

77. Idem est Lovaniensium iudicium, quod ex præfatione Biblijs Lovaniensibus castigatis præfixa claret. Sic enim aiunt: Non fuit nostrum, imo nec expedit, depravata exemplaria Latina ad Græcos aut Ebræos codices semel castigare. Audis illos fateri, depravata esse exemplaria Latina, & proinde ex Hebræis aut Græcis codicibus ea castiganda esse. Veruntamen (quod subijcitur) hoc non privata alicuius personæ, aut unius cuiusvis Academiae, sed Pontificis, aut Oecumenici concilij autoritate tentandum. En Simsonis vulpeculas, capitibus disjunctas, caudis arcule colligatas.

78. Huc usq; ergo probatum est, non in vulgata editione Latina, sed in Hebræis Græcisq; fontibus authenticam Scripturam constituendam esse.

B 2

Hinc

79. Hinc vero alia enascitur questio, quid ergò de vernaculis scripturarum versionibus habendum sit: & an liceat sacram scripturam transferre ex suis fontibus in illam linguam qua in alijs etiam regionibus usitata sit.

80. Pontificis hoc damnare in confesso est, nisi id uel Papa uel Episcoporum indultu fiat. Nos quod omnino liceat sic probamus.

81. Primò. Si ita legenda est scriptura ut populus ex ijs fructum aliquem capere possit, utiq; in linguam populo notam uertenda erit. Verum prius. E.

82. Connexionis ratio manifesta fit. In ignota enim lingua scripturam nunquam intelliget & sic nec utilis illi futura est.

83. Huc referimus totum caput 14. prior. ad Corinth. ubi sedes est hujus argumenti. Si uentiam ad uos, (inquit Paulus) linguis loquens quid prodero? idq; exemplo rerum inanimatarum tibia & cythara declarat, qua nisi (inquit) διασολῶν, tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cythara? Et concludit se male in Ecclesia quinq; uerba loqui δια ὁσῶν, hoc est ex intelligentia ut alios instituat quàm decem millia uerborum ἐν γλώσσῃ, id est, lingua incognita.

Coll. 3. v. 16. Coll. 1. v. 9. 84. Secundò. Paulus uult ut uerbum Dei habitet in nobis abundanter, & ut impleamur cognitione uoluntatis Dei in omni sapientia & prudentia spiritali.

At uerò hac sapientia ex uerbi intellecti sedula meditatione & lectione ut nascitur, ita foveatur & nutritur. Ergò in linguas uernaculas transfundi necesse est ut legi & intelligi possit.

Psa. 1. v. 2. 85. Deniq; beatus est cui uoluntas in lege Domini & qui in lege eius meditatur die ac nocte.

At omnes habent spem beatitudinis & salutis. E.

86. Ex his igitur manifestum est, uernaculas scripturarum interpretationes adeò diuino uerbo non esse contrarias, ut etiam in illo precipiantur, quod Ecclesie utilitati & adificationi egregie seruiant.

87. In quibus tamen hoc cavendum est, ne pari cum fontibus loco consti.

co constituentur. Quid enim indignius quam fontibus rivulos, ma-
tri filiam aquare?

88. Calumnia igitur est quando scribit Bellarminus, Lutheranos Lib. 2. de
velle solam Lutheri versionem esse authenticam habendam, quod verbo Dei
decreto quodam Lipsensi, cui Melanthon & alij subscripserint con- cap. 10.
firmare nititur.

89. Certè illam nobis in pretio esse non diffitemur, adeò, ut advul-
gatà Latinam, in qua Pontificij prasidiū errorum suorum quarunt
collata, instar commentarij sit, ad verum & genuinum Scripturæ
Prophetica & Apostolica sensum comprehendendum.

90. At authenticam illam haberi nec ipse unquam voluit, nec est
qui illam ita unquam usurparit. Neq; enim fides nostra vel in per-
sona, vel in Bibliorum Interpretatione Lutheri vernacula, sed in so-
lo verbo Dei, quod sonant Prophetarum & Apostolorum monumen-
ta, quodque in nostris Biblijs ad unguem extat, fundata est.

91. Et quid contra habet Adversarius? nempe Biblia Lutheri
pessima fide conversa esse, quod Cochlei testimonio evincere tentat,
qui ad mille loca in nova Lutheri translatione mutata esse osten-
derit.

92. At huic, ut & ineptijs Emseri, Staphyli & aliorum jam pri-
dem tum ab ipso Luthero, tum ab alijs satisfactum est. Et qualia
sunt quæ observarunt? nempe talia, quæ cum rerū, quas exprimunt
veritate, etiam nativam vernaculi idiomatis proprietatem conse-
ctantur. Hæ scilicet sunt ista corruptela.

93. At hos meminisse oportebat illius, quod habet D. Augusti-
nus: Locutio divinarum scripturarum secundum cuiusq; In libr. de
linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim o- vera religio-
mnis lingua quædam propria locutionum genera, quæ gione.
cum in alia transferuntur, videntur absurda.

94. Sit exempli loco particula SOLA in articulo Iustificationis,
quam crebrò obijciunt Pontificij. At hanc & rei veritas & nativa
sermonis vernaculi proprietates expressit, quod alibi à D. LUTHERO
demonstratum est.

Rei

Galat. 2. d
ver. 16.
Marci 5.
ver. 36.
Luc. 8.
ver. 50
Chemnit.
par. 2. Loc.
Com. p. 338

96. *Rei veritas, quid enim notius, quam Paulum semper à foro justificationis, operum meritum, cui hac particula opponitur, excludere? quid, quod equipollenti alia? et à eodem Apostolo sit exposita? Ut taceam scripturam ab illa non abhorre, qua particulam exclusivam fidei addit, ubi de applicatione beneficiorum Christi sermo est.*

97. *Nativa vernaculi sermonis proprietates, notum enim est (ut cum D. Chemnitio loquamur) quando Scriptura de duobus vel pluribus rebus loquitur, ita ut de una tantum affirmet, de reliquis verò neget, illud genus loquendi, in nostris linguis praesertim Germanica significantius reddi non posse, quam exclusivis, Sola & Tantum, quod multis exemplis demonstrare promptum est.*

98. *Cetera qua obijciunt cum ejusdem & peioris etiam sint farina, concludimus ergo, nihil errorum vel corruptelarum in Biblijs nostris vernaculis commissum esse, & proinde ut cetera, ita hanc versionem eo quo dictum est loco, jure collocari posse. Id quod nobis demonstrandum erat.*

F I N I S.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquijs et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitijs Dei et voluntatis ipsius humanis animis nāa infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de justificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de justificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de justificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de justitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd p̄ se vocab. Turca significant, 3. qd Turca sint flagella quos Deus castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuias ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HEURNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.


Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Dei, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Dei in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



8
PROBLEMA, VTRVM
SCRIPTURA AUTHENTICA IN HE-
braeis græcisq; fontibus, an verò in vulgata ver-
sione latina constituenda
sit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSI-
MO VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO VOLCMARO
S.S. Theologiae Doctore in Academia
Wittebergensi Professore pu-
blico

Contra Pontificios

Ad disputationem octavam in Collegio studiosorum
Theologiae privato propositum.

à

M. HERMANNO WOLFIO LVBECENSI,

Respondente

M. ELIA EHINGERO AVGVSTANO.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno M. D. XCV.